Ut te nec mea nox nec meus incitet ardor
Cogimur ipsius comoditate frui.
aut erimus stulti sic ut superemus et ipsum
Si tam securum tempus abibit inhers.
Pene suis manibus ad te deduxit amantem.
utere mandatis simplicitate viri.
Sola iaces viduo tam longa nocte cubili.
In viduo iaceo solus et ipse thoro.
Te michi meque tibi comunia gaudia iungat.
Candidior medio nox erit illa dies
Tunc ego iurabo que vis tibi numina meque
astringam verbis in vestra sacra meis.
Tunc ego si non est fallax fiducia nostra
Efficiam presens ut mea regna petas.
Si pudet et metuis ne me videare secuta.
Ipse reus sine te criminis huius ero.
Nam sequar egide factum fratrumque tuorum.
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit teseus geminas leucapidas illi.
Quartus in exemplis enumerabor ego.
Troicha classis adest armis instructa virisque.
Iam facient celleres remus et aura vias.
Ibis dardanidas ingens regina per urbes.
Teque novam credet vulgus adesse deam.
Quaque feres gressus adhollebunt cinama flame.
Cesaque sanguineam victima plaget humum.
Dona pater fratresque et cum genitrice sorores
Illiades que omnes totaque troia dabit.
Hei michi vix a me pars dicitur ulla futuri
Plura feres quam que littera nostra refert.
Nec tu rapta time ne nos fera bella sequantur.
Concitet et vires grecia magna suas.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1665/0080
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG